



V Vilhelmus ex illustri familia comitū à Honstein natus est. Is à parentibus à teneris annis optimè institutus, & ut literarum cognitionem acquireret, præceptoribus commendatus fuit. sub ñs adeò profecit, ut haud pœnitendam eruditionē sibi compararit. Postea Argentinam uenit, & in nobilissimum illud collegiū, quod præter principes, comitēs, & barones neminem alium suscipit, receptus fuit. In eo genere uitæ pietate & modestia se talē exhibuit, ut omnibus esset gratissimus. Itaq; factum ut anno 1506 post obitum Alberti Palatini præfulis Argentinēsis ipse in eius locum omnium consensu Episcopus eligeretur. Eam functionem

Guilhelmus per multos annos optimè administrauit, atq; sese excellentem et prudentissimum principem omni tempore declarauit. Itaq; eius apud Cæsares, Maximilianū, huiusq; nepotes Carolum & Ferdinandum fratres, aliosq; Imperij proceres ac ordines, ob maximarum rerum experientiā & usum, magna erat autoritas. Quanquam etiā eius tempore Argentinæ religionis fieret mutatio, tamen ipse pacē conseruauit, atq; sese Tabernis suæ ditionis oppido continuit, feliciora tempora expectando. Cum hoc modo per 35 annos magna laude præfuisset, tandem senio confectus anno 1541 obiit, atque Erasmum Lympurgensem successorem habuit. Anon.